

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Exercitationes theologicae - Ettenheim-Münster 109 - index omnium in
univ. theol. 4 tomis distincta contentarum

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Exercitatio XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-111021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-111021)

debita directione rationis practica dicit aliquid positivum, vel solum
aliquid privativum seu negativum. Si primum, tunc dicit argumen-
tum. Si secundum, ergo privatis in negatione fundari poterit,
quod non admittitur.

Contra iam Respons. ad Argum. 4^{um} et ultimum est; 347.

quia actus ille consideratus precise secundum rationem com-
munem actus humani non est neque potest esse subiectum
illius rectitudinis particularis, v.g. dilectionis divinae. Ergo
neque est subiectum privationis talis rectitudinis; sicut quia
homo secundum gradum corporis non est subiectum potentiae
visivae, ideo neque secundum eum est subiectum civitatis.

Ant. in quo est difficultas sic prob. Quia illa rectitudo par-
ticularis non est debita actui humano sicut in communi,
alioquin nullus actus humanus posset esse bonus sine ea. Ergo
actus odii Dei, de quo loquimur, consideratus precise secun-
dum rationem communem, neque est neque esse potest
subiectum illius rectitudinis particularis. Ergo nec subiectum
privationis illius rectitudinis. patet hac ultima consequen-
tia; quia carentia rectitudinis actualis non habet ratio-
nem privationis moralis, nisi ut ipsa rectitudo est debita.

Contra 2^a iam Responsionem est; quia in personam aut vo-
luntate, quando operatur contra preceptum negativum,
nullum aliud debitum intelligimus esse nisi non operandi
v.g. debitum, quod habebat, qui odio habebat Deum, et
non habendi tale odium; minime vero esse aliquod de-
bitum recte operationis.

Confirmatur. Quia negatio, quae est in actu, non ex-
cludit immediatam rectitudinem a potentia, sed ab actu.
Ergo non est privatio immediata respectu potentiae,
sed respectu actus, atque adeo actus erit capax rectitudi-
nis moralis, et ad illam obligatus, quod iam constat esse
falsum.

Exercitatio XX. 347.

De peccato habituali, ac eius formali con-
stitutiva ratione.

Ad part. 2. Trait. de Peccatis, item ib. c. 1. §. 4. n. 166. et 173.
Tom. 3. Theol. Univ. Trait. 6.

Constat post peccatum actuale peccatum in anima
peccatoris remanere maculam ea illo productam, per
quam anima dicitur abominabilis, maculata, ac Deo invi-
sa. Tota pulchra es amica mea, inquit sacer textus Cantic.
4. et Ms. macula | en peccatum habituale: | non est in ta.
Itam usque in presentem diem macula huius Peccatoris in vo-
bis remanet. Josue 22.

Disceptant autem hic inter se Thomista, et ii, quos Re-

III

2. Col. p. 276

centiores vocant, an hujusmodi macula consistat in privatione gratiae sanctificantis, in quantum connotat actum praeteritum eorum causam, prout volent Thomista; an vero in peccato praeterito non retractato, quatenus tamen connotat duplicem privationem, nimirum condonationis divinae, et condigna satisfactionis, ut censent recentiores.

348.

§. I.

Proponentur ac solvantur Argumenta Sententiae Thomisticae.

Argumentum primum Sumitur ab auctoritate Concilii Trid. Sess. 6. c. 7. ubi dicitur, quod Justificatio nihil aliud sit, quam translatio hominis à statu peccati in statum gratiae; id est formaliter remissio peccatorum. Ea quoque sic arguitur: Id quod formaliter constituit maculam peccati mortalis, quod in justificatione per se primo à Subjecto expellitur. Atque in justificatione impii per se primo à Subjecto expellitur privatio gratiae sanctificantis. Ergo haec formaliter constituit maculam peccati mortalis. Maj. constat ex utroque textu Concilii Trid. Min. prob. Justificatio fit formaliter per ipsam gratiam sanctificantem; est enim effectus formalis illius formae, qua nos reddit Deus gratos, quod tantum gratia sanctificantis convenit. Atque gratia per se primo expellit sui privationem, quemadmodum quaelibet alia forma sui privationem per se primo à Subjecto expellit. Ergo in justificatione per se primo à Subjecto expellitur privatio gratiae sanctificantis.

Resp. A. A. Dist. maj. Id quod constituit maculam, quod in justificatione per se primo expellitur per modum extremi contrarii ipsius gratiae, qua de novo infunditur, conc. per modum extremi privativi, neg. maj. p. Nam justificatio, ajunt, expellit peccatum per infusionem gratiae tanquam forma incompatibilis cum omni peccato: gratia autem in peccatore Deus habet opposita; unum privativum, nimirum sui carentiam; alterum vero contrarium, scilicet peccatum praeteritum moraliter perseverans. Non ergo expellitur ratione oppositionis privativae; sed in eo, quod primario expellitur per modum extremi contrarii ipsius gratiae.

349

Argumentum 2^{um} Peccatum habituale in ratione maculae formaliter constitui debet per aliquid animae intrinsecum. Atque actus peccati actualis praeteritus connotans privationem condonationis et condigna satisfactionis, ac non retractatus non est aliquid animae intrinsecum. Ergo formaliter non constituit peccatum habituale. Maj. constat 1^o ex illis Jo. 22. Macula hujus saeculi in vobis permanet, ubi in vobis denotat aliquid intrinsecum. 2^o Peccatum habituale originale est aliquid intrinsecum parvulis, ut patet ex Concilio Trid. Sess. 5. can. 3. Ubi, Ad peccatum, inquit, inest univique proprium.

3. Col. p. 277

Ergo etiam peccatum habituale personale est aliquid intrinsecum personae. 3^o Vitor anima est aliquid illi intrinsecum. Ergo etiam defectus vitior seu macula erit aliquid anime intrinsecum. Min. prob. Nam actus praeteritus est aliquid extrinsecum, et cum jam praeterierit, certe non amplius existit, quod tamen necessarium erat ad formalem effectum maculationis et infectionis intrinseca. Ergo p.

Resp. ad. Quod licet peccatum actuale praeteritum realiter et physice non sit aliquid anime intrinsecum, sit tamen aliquid illi moraliter intrinsecum; quamvis enim physice non amplius existat, cum jam transierit, habet tamen existentiam et permanentiam moralem; quia ratio actus peccaminosi praecedentis anime censetur esse maculata et infusa, ac si peccato praeterito actu informaretur.

Argumentum 3^{ium} petitur ab auctoritate S. Thomae. 350. Nam q. 3. De malo, a. 7. ad 1. sic ait: Dicendum, quod privatio gratiae habet rationem culpa secundum quod accipitur simul cum causa sua, quae pertinet ad genus actus. Item 1. 2. q. 86. a. 1. ad 3. Macula, inquit, non est aliquid positive in anima, nec significat privationem solam; sed significat privationem quandam vitior anime, in ordine ad suam causam, quae est peccatum.

Resp. ad. Justa S. Thomam cit. q. 3. De malo, a. 7. in 0 privatio gratiae habet rationem poena, si secundum se consideretur, et non habet rationem macula nisi secundum quod ex actu praecedenti induitur, ut ait in 2. dist. 42. q. 1. a. 2. ad 4. Ergo in actu peccaminoso praecedenti non retractato potius situm est peccatum habituale, quam in privatione gratiae; quia propter quod unumquodque tale, et illud magis tale.

Altera adhuc Argumenta adducentur inf. S. 3. Haec modo sufficiant.

§. II.

351.

Proponentur ac solvantur Rejectionum Argumenta.

Argumentum; nunc Totum illud pertinet ad rationem peccati habitualis, a quo mundat et liberat justificatio. Atqui justificatio nos non tantum mundat et liberat a privatione gratiae, sed etiam a peccato actuale praeterito; quia quod ante justificationem propter non retractationem moraliter permanebat, illud postmodum omnino tollitur, et nullo modo permanet. Ergo saltem partialiter peccatum non retractatum ad rationem peccati habitualis pertinet.

Resp. ad. Dist. maj. Totum illud pertinet ad peccatum habituale vel per modum connotati, vel per modum constitutivi essentialis, a quo mundat et liberat justificatio, con. Semper per modum constitutivi, neg. maj. p. Quamvis terminum

311
à quo justificationis ingrediatur utrumque, scilicet tam
privatio gratiae sanctificantis, quam actus peccati praeteritus,
non tamen utrumque ingrediatur aequaliter, sed privatio gratiae
ingreditur velut essentialiter constitutivum mensurae in reo, pec-
catum vero praeteritum tantum ingreditur in obliquum et per
modum connotati essentialis. Sicut in sententia adver-
sariorum peccatum praeteritum moraliter perseverans in-
greditur mensuram in reo et per modum constitutivi, ne-
gatio vero condonationis divinae et condigna satisfactionis
tantum ingreditur in obliquum, et per modum connotati.

352. Argumentum 2^{um} Dum peccatum commissionis actuale for-
maliter constituitur in quodam positivo respectu ad objec-
tum ut regulis morum difforme, prout supra dictum est. Ergo
etiam peccatum habituale in simili tendentia consistere de-
bet, ac proinde non consistit in privatione gratiae.

Col. 4. p. 278.

Resp. Neg. cons. ac part. Disparitas est, quod in actuale peccato
positiva tendentia sit id, quod primo et per se intelligitur,
et ideo in eo merito consistit ratio formalis peccati actualis.
At in peccato habituali, quod primo et per se intelligitur, est
privatio gratiae, non vero tendentia in obliquum ut regulis
morum difforme. Ergo in illa, non autem in hac, constitu-
enda est ratio formalis peccati habitualis.

353. Argumentum 3^{ium} Ex hac sententia plura sequuntur
absurda. 1^o Quod omnia peccata habitualia forent ejusdem
rationis; nam privatio desumit omnem distinctionem à
forma, cui opponitur. Atqui gratia sanctificans est in omni-
bus ejusdem rationis. Ergo. 2^o Sequeretur, quod, qui
commisit gravius peccatum, non haberet majorem maculam,
quam qui commisit minus grave; quia committens minus gra-
ve aequè privatur gratia, ac committens gravius. 3^o
Quod in quolibet peccatore non nisi sit unum peccatum ha-
bituale, licet se pluribus foederit; nam privatio gratiae non
est nisi una in unoquoque peccatore. Ergo.

Resp. Neg. ant. ad id; nam Neg. seq. maj. falsum est, quod pri-
vatio constituat peccatum habituale, quatenus praese di-
cit ordinem ad formam, quae privat; sed quatenus dicit res-
pectum ad actum peccati praecedentem, à quo procreatur,
et secundum hunc actum diversificatur, atque ejusdem cum
eo speciei; unde si talis sit in specie v.g. furti, talis etiam
erit privatio gratiae ex eo procreata. Ex hac responsio-
ne liquet 2^{um} dum absurdum minime sequi: tanto enim macu-
la peccati ac privatio gratiae censetur gravior, quanto pecca-
tum, à quo ipsa gignitur, gravior est. Ad 3^{ium} sti-
am patet solutio; cum enim peccatum habituale sit priva-
tio gratiae ut dicit respectum ad actum, à quo gignitur, tot
sunt peccata habitualia in homine, quot sunt peccata actualia
mortalia.

Argumentum 4^{um} Si quis offendat Principem, post actum 354.
offense nihil aliud remanet, quam reatus seu Deputatio ad
poenam. Ergo pariter, dum quis offendit Deum, post actum
offense nihil remanet in peccatore, quam reatus poenae.

Resp. Neg. cons. et parit. Ratio disparitatis est, quia amicitia
Principis in eo, quem amat, nihil intrinsecum ponit, bene autem
amicitia Dei; haec enim ponit gratiam et charitatem. Unde
sequitur, quod per amissionem amicitiae Principis ratio of-
fense nihil intrinsecum amittatur, amittatur vero per amif-
sionem amicitiae Dei, nimirum gratia et charitas; ac provin-
de per ejus offensum provocatur gratia privata.

Argumentum 5^{um} Si de facto daretur status natura pura, 355.
tunc peccatum mortale habituale non consisteret in priva-
tione gratiae, sed tantum in ejus negatione. Ergo peccatum
habituale formaliter non consistit in privatione gratiae.

Resp. 1^o Peccatum pro illo statu habituum aliam ratio-
nem formalem constitutivam, quam in presenti statu ha-
beat, scilicet privationem subjectionis in Deum ut ulti-
mum finem.

Resp. 2^o Quod sicut macula relicta ex secundo peccato
mortali, quod committitur, est privatio gratiae, quia, li-
cet per accidens tale peccatum eam non destruat, eo quod
eam in subiecto non inveniat, per se tamen et ex natura
sua est destructivum ejus; ita similiter macula, quam
contraheret homo in statu natura pura, si peccaret morta-
liter, posset dici privatio gratiae; quia illam excluderet, si in
subiecto inveniret. Unde potest negari Antecedens.

Argumentum 6^{um} Privatio gratiae sanctificantis est poe- 356.
na peccati. Ergo in tali privatione essentia peccati habitua-
lis consistere non potest. Ant. constat ex S. Thomae 1. 2.
q. 85. a. 5. his verbis: Subtractio originalis justitiae habet ratio-
nem poenae, sicut etiam subtractio gratiae. Et in 2. Dist.
33. q. 2. a. 1. ad 2. dicit: Privatio gratiae non habet rationem
culpa, sed poenae. Cons. prob. Quia quid quid est à Deo,

in illo non potest consistere peccatum habituale, cum nullum
peccatum esse possit à Deo. Atque poena peccati est à Deo,
culpa vero non est à Deo, sed à principio defectivo. Ergo si
privatio gratiae est poena peccati, non potest hujus essen-
tia in tali privatione consistere.

Resp. 1^o Dist. ant. Privatio gratiae sanctificantis, consi-
derata ut carentia forma supernaturalis, quae perficit
animam et dat illi esse participatum divinae naturae, est poe-
na peccati, cons. Considerata prout est carentia habitus
rectitudinis, subjectionis, ac conversionis hominis in Deum cum
ultimum finem, neg. ant. Sic enim habet rationem culpa.

S. G. p. 279.

8

Unde fatendum est, quod si hoc modo à Deo positivè et efficien-
ter prodmeretur, tunc Deus foret causa averrens ac preparans à
se ipso ut ultimò fine, quod Deo repugnat.

Resp. 2^o. Trans. ant. Neg. cons. Ad ejus prob. Dist. maj. Quidquid
est à Deo positivè, in illo non potest consistere peccatum habituale,
con. Quidquid est à Deo permisivè, p. neg. maj. et Dist. min. Sed
culpa non est à Deo causalitate positivè, con. Non est à Deo cau-
saliitate permisivè seu negativè, idque ex supposito perpetrati
peccati, neg. min. p.

Inst. Deus potest in aliquo dormiente destituere gratiam sancti-
ficantem suspendendo consuetum conservativum illius in subiecto.
Atqui tunc privata gratia soli Deo adhiberetur, et tamen diceret
carentiam habitualis rectitudinis hominis in Deum. Ergo prima
responsio non subsistit.

Resp. Dist. maj. Potest Deus destituere gratiam in dormiente,
ita, ut ejus privatio esset dormienti involuntaria, con. ita, ut
esset voluntaria, neg. maj. Privatio gratiae non aliter
constituit peccatum habituale, nisi in quantum est volunta-
riè procurata per actum peccaminosum, quo deficiente deficit
et ratio peccati habitualis; nam sicut peccatum actuale esse
nequit, quod voluntarium non est, ita pariter peccatum habi-
tuale esse non poterit, si voluntarium non sit.

357. Argumentum 7^{um} Qui peccavit in instanti A et in se-
cundo instanti incipit esse peccator habitualiter, in secundo
instanti non privatur gratia, quin propter culpam commissam
in instanti A sit dignus privari gratia in instanti B. Ergo
jam pro illo priori est dignus hujusmodi privatione. Atqui
pro illo instanti, quo quis dignus est privari gratia, jam adest
peccatum habituale, ut peccatum jam in facto esse. Ergo pri-
vatio gratiae non constituit, sed potius sequitur ad peccatum
habituale.

Resp. Quod privatio gratiae, respectu voluntatis libere sapi-
vantis perfectione debitæ subiectionis scilicet in Deum, sit
peccatum et macula, eadem vero respectu voluntatis divi-
nae physice subtrahentis sit poena. Brevi, inquit, est cul-
pa, quam poena; quia prius demeritorie et moraliter est à
voluntate creatâ, quam physice à divina. Itaque in ins-
tanti A licet non adest privatio gratiae ut est physica subtra-
ctio à Deo, est tamen privatio gratiae ut est demeritoria caren-
tia perfectionis debitæ.

Inst. Si privatio gratiae prius est à voluntate libere sapi-
vante. Ergo non potest posterius ratione à Deo esse; quia non
potest Deus subtrahere formam, quae jam supponitur subtra-
cta.

Resp. Neg. cons. Ad ejus prob. Dist. cons. Non potest Deus sub-
trahere formam physice, quae tantum supponitur subtrahita
moraliter, neg. Quae supponitur subtrahita physica, con.

cons. Tunc autem subtrahit posterius ratione gratiam, quae
 supponitur prius ratione subtrahita tantum moraliter.

Argumentum 9^{um} Ideo privatio gratiae est mala, quia 358.
 est privatio formae debita. Atque etiam habitus charitatis,
 et reliquae virtutes sunt debita. Ergo etiam privatio charita-
 tis, p. est mala.

Resp. Si sermo sit de peccato actuali, verum esse privatio-
 nem charitatis et reliquarum virtutum supernaturalium
 esse malam in ipsa privatione gratiae, ut in radice, cum
 quia omnes habitus infusi perduntur, exceptis fide et spe;
 falsum vero, si sermo sit de macula; nam si sola privatio
 gratiae maculam constituit; quia sola est privatio formae per-
 ficientis et ornantis animam in ordine ad esse, reliqui vero habi-
 tus in ordine ad operari.

W
 6. Col. p. 290.

Argumentum 9^{um} Voluntas post peccatum manet con- 359.
 versa habitualiter ad creaturam seu ad bonum commutabile
 tanquam in ultimum finem. Atque haec conversio fieri ne-
 quit nisi per habitum positivum moraliter malum. Ergo
 in eo constitui debet peccatum habituale, non vero in pri-
 vatione gratiae. Prob. min. Sicut aversio importat pri-
 vationem, sic a contrario conversio importat aliquid positi-
 vum. Ergo p.

Resp. Reg. min. Ad ejus prob. Dicunt verum quidem esse hu-
 jusmodi conversionem esse quid positivum, non tamen egredi ab
 habitu quodam vitioso, sed solum ab ipsa inclinatione essentiali
 voluntatis, non quidem nude sumta, sed ut connotante pri-
 vationem gratiae et charitatis.

Argumentum 10^{um} Idem est formale constitutum 360.
 quod distinctivum; atque macula peccatorum non distingu-
 untur propter privationem gratiae, sed propter peccatum
 praeteritum. Ergo verius dicitur peccatum habituale for-
 maliter constitui per peccatum praeteritum non retractatum.

Resp. Dist. min. Atque macula peccatorum non distinguun-
 tur propter privationem gratiae nude sumtam, conc. Non dis-
 tinguntur propter privationem gratiae cum respectu ad suam
 causam, peccatum scilicet praeteritum, neg. min. p. Ratio
 hujus distinctionis sumitur 1^o ex paritate de umbris, quae ab in-
 vicem non distinguuntur per sola corpora objecta, neque per
 solam lucis carentiam, sed per hanc ut ex objecto praevocatum.
 Sumitur 2^o ex S. Thoma 1.2. q. 86. a. 1. ad 3. cuius textum
 referemus l. q. 8. Sumitur 3^o ex hac ratione; quia macula
 de formali solum importat privationem debita pulchritudinis
 et nitoris, causam autem, scilicet peccatum praeteritum, non
 nisi connotative et indirecte; macula enim privative oppo-
 nitur pulchritudini et nitore, quae sunt quid positivum. Ergo
 macula est formaliter quid privativum, ac proinde in actu praeca-
 denti, scilicet peccato praeterito, constitui nequit.

Neque dicas, hanc maculam non privative, sed potius contra-
vie opponi pulchritudini et nitore, p.

Nam contra est; quia macula formaliter negat pulchritudi-
nem et nitorem subiecto debitum, licet connotet causam, ex qua
talis privatio senta sit. Et confirm. Lucia in nobis est in-
tegra macula peccati originalis, cum tamen in nobis non sit
ipsum originale protoparentis nostri peccatum, à quo hac macu-
la in nos derivatur. Igitur macula directe et formaliter non
constituitur peccato proterito, sed solum terminative et conno-
tative.

2. Forma axiomata illud, Idem est constitutum quod distinctivum,
tunc solum verificatur, quando distinctivum, quod importatur in
ratio, est etiam constitutum; levis vero, quando per modum
alicujus connotati tantum importatur in obliquò; alias enim
omnis forma physica essentialiter constituet suam privatio-
nem, cum privationes non aliter distinguantur specie, nisi
per formas oppositas, quibus privant.

361. Argumentum II. num. Peccato proterito nondum retractato
conveniunt omnia, qua constitunt peccatum habituale.
Ergo p. Prob. ant. Lucia per illud peccator redditur inimicus
Deo, habet essentialem obicem ad receptionem gratia, manet ex-
clusus à regno caelorum. Atqui haec solum sufficiunt ad consti-
tuendum peccatum habituale. Ergo p.

Resp. Neg. ant. Adejus prob. Dist. ant. Per illud peccator red-
ditur inimicus Deo, p. per inimicitiam solum extrinsecam, cone.
intrinsicam, qua, ut sup. ostensum est, requiritur ad ratio-
nem peccati habitualis, neg. ant. p.

S. III.

Verior eligitur Sententia.

Cum prior sententia auctoritate S. Thome manifestè fulla sit,
idcirco haud immerito posteriori videtur preferenda. Praestat hic
quosdam hujus S. Doctoris referre testimonia, qua aperte innunt
cum priorem tenuisse sententiam. 1.º quidem p. 1. q. 86. a. 1. ad 3.
sic ait: Macula non est aliquid positivè in anima, nec significat
privationem solum, sed significat privationem quandam ni-
toris anima in ordine ad suam causam, que est peccatum. 2.º
In 4. sent. dist. 14. q. 2. a. 1. question. 3. ad 2. dicit: Per adventum
gratia ad essentiam anima tollitur macula, que nihil aliud
erat, quam gratia privatis. 3.º In 4. dist. 18. q. 1. a. 2.
questione. 1. sic ait: Ipsa macula, quantum in se est, non ponit
de essentia sua nisi privationem gratia; sed ponit ut causam
obstaculum peccati, quod obstat ad gratia receptionem; et prop-
terea etiam macula tenebra dicitur.

Concordat S. Anselmus lib. de concept. virg. c. 3. ubi ait: Pecca-
tum | habituale: | non est aliud quam absentia justitia debita.
Et licet ibi fiat mentio de peccato originali, nihilominus eadem
ratio valet pro peccato habituali personali.

363. Inquit hic adhuc quaedam subtile rationes satis convin-
tas. 1.º Per illud homo constituitur debet peccator et injustus
habitualmente, cujus oppositum constituitur habitualiter sanc-

7. Conf. 2. 81.

362.

tum et justum. Atqui gratia sanctificans constituit hominem sanctum et justum habitualiter, Ergo p. Min. est certa. Maj. vero eandem liquet; quia denominationes opposita desumuntur à formis oppositis.

2^a. Peccatum habituale per peccatum mortale actuale præteritum in animâ relictum est essentialiter mors animæ. Atqui hujusmodi mors est privatio gratiæ habitualis. Ergo p.

3^a est, Quia, ut jam præcedenti S. dictum est, macula ex suo formali conceptu importat privationem debiti pulchritudinis, quæ per peccatum mortale ejicitur à subiecto. Atqui hujusmodi pulchritudo est donum habituale gratiæ sanctificantis. Ergo privatio gratiæ sanctificantis formaliter constituit maculam ex peccato actuale mortali relictam. Totâ hæc ratio constat ex testimoniis S. Thomæ hætenus adductis.

Ceterum hæc apprimè notandum est, quæstionem hæc versari 364. Duntaxat circa peccatum habituale mortale, non verò circa peccatum veniale habituale; nam hoc non consistit in privatione gratiæ sanctificantis, uim non expellat à subiecto, 3 charitatem, sed tantum consistit in diminutione fervoris charitatis extrinseci seu extensivi. Unde se habet respectu animæ sicut pulvis respectu faciei venusta; hic namque non tollit venustatem ejus, sed tantum impedit, ne eadem ac prius appareat; Sic pariter peccatum habituale veniale non tollit venustatem et pulchritudinem animæ, sed tantum quandam obnubilationem procreat; quò fit, ut charitas minus ferreat, seu minus splendeat.

Diximus extensivi seu extrinseci; nam charitas per veniale peccatum non minuitur intrinsecè, sed tantum redditur homo non ita expeditus ad opera virtutum exercenda, deficitque facile à favore in actibus charitatis eliciendis, siquæ fit Deo minus familiaris.

Superest modò ut ea, quæ adversarij ad argumenta S. i. ad. 365. ducta responderunt, confitemur. Itaque

Contra responsionem ad 1^{um} Argumentum est; quia macula ex suo conceptu formali ac essentiali importat privationem pulchritudinis seu nitoris animæ per actum peccatum peccaminosum procreatam, ut ex dictis constat. Atqui privatio nitoris animæ non est contrariè opposita gratiæ sanctificantis, sed solum privativa. Ergo etiam macula est hujusmodi, p.

Contra responsionem ad Argumentum 2^{um} est; quia si 366 macula non est aliquid physicè ac realiter intrinsecum animæ; tunc nullam amplius superest convincens Argumentum contra Novatores, quòd scilicet gratia sanctificans sit quædam qualitas physica inherens animæ. Prob. Quia id aliunde probari nequit, nisi ex Conciliis ac Scripturis, quæ dicunt, quòd gratia et charitas sint in nobis, inhaereant nobis, diffundantur in cordibus nostris, p. Atqui S. Scriptura et Concilia etiam dicunt peccatum habituale seu maculam

8. Col. p. 1282.

anima esse et permanere in nobis, inesse cuilibet proprio, p.
ergo aut diondum est maculam non solum moraliter, sed etiam
realiter esse anima intrinsecam; aut fatendum erit argu-
menta, quibus Sectariorum impugnamus, minus esse convincentia.

364. Denique Responsio ad Argumentum 3^{ium} ab Auctoritate
S. Thomae demum jam refutata est per Responsionem ad
Argumentum 10^{um} priori S. ab Adversariis adductum datam.
Illud autem axioma, propter quod nunquamque tale, et
illud magis tale, non valet in causis efficientibus. Cum igitur
justa S. Thomam, praesertim i. p. q. 86. a. 1. ad 3. peccatum pra-
teritum habeat rationem causa respectu privationis vitiosae
animae, liquet, quod peccato praeterito non retractato haud
competat ratio macula seu peccati habitualis, sed solum-
modo privationi gratiae.

363. Ratio in toto hoc negotio circa naturam seu potius concep-
tum privationis gratiae, quatenus constituit peccatum ha-
bituale, sic procedendum est: 1^o Intelligere debemus de-
bitum habendi gratiam sanctificantem, quod comitatur
statum eversionis ad ordinem Supernaturalem. 2^o
Peccatum actuale pro eans voluntariam privationem
debita subjectionis ac subordinationis ad Deum ut ulti-
mum finem Supernaturalem, in qua peccatum habitua-
le formaliter consistit. 3^o Intelligimus propter utram-
que peccatum, scilicet actuale et habituale, causam deme-
ritoriam subtractionis seu privationis gratiae, sive quod in
idem redit, indignitatem ad gratiam physice a Deo subtra-
hendam in poenam peccati. 4^o Denique Intelligi-
mus Deum negare suum concursum conservativum gra-
tiae, et ipsam gratiae privationem producere, non propt
animam Deo subijit, sed ut dicit perfectionem homini de-
bitam.

283. 922